



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Mutabilitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

A **h**abitatem, ut passim : clavus, vitæ nostræ sub ejus ditione cursum : cornu copiarum, bonorum largitionem. Sane Plutarchus commentario de Fortuna Romanorum, Fortunam ait trajecto Tyberi, positam alis, exutis talaribus, abjecta instabili & vestigia fallente pila, ita Romam ingressam, quod indicium esset eam ibi constanter permansuram, neque alio in posterum abvolaturam, illud scilicet Maroniam secutus, quod de Romanis ait :

*His ego nec metas rerum, nec tempora ponam,  
Imperium sine fine dedi.*

*Æneid. l. 6.*

TERRARUM ORBIS. CAP. XIX.

**Q**uo pacto autem terrarum orbem pila descripta significant, rudi etiam innotuit plebecula. Orbem enim linea quadam, veluti finitore circulo dissectum, alterum quoque ex hemisphaeriis, quippe superiorem quasi meridiano circulo producto dividunt, à meridiano autem quasi coluri partem ad occidentem Solem vertunt, atque inde Asiam, hinc Africam & Europam intelligunt, cum tamen Poeta terram *ἀπείρονα* dicant. Cujus vocabuli si vim simpliciter interpretemur, infinitam exponemus. At Joan. Grammaticus, Aristotelis interpres accuratissimus, *σφαιροειδῆ* mavult interpretari, omnino enim neque sphaera, neque circulus finem principiumve ullum præ se ferunt. De figura vero terræ quam varia aliis atque aliis credatur, videndum apud Plutarchum libro de Philosophorum placitis altero. Sed nos in hoc antiquis feliciores sumus, quod non uniuscujusquam testimonio, sed jam innumerabilium de visu referentium, universum hunc orbis globum terra marique & habitabilem & permeabilem accepimus, & quotidiana in hanc & illam partem supra & infra navigatione, manifestior sit in dies. Sed quod ad orbem nostrum attinet, videre est in Faustinae numo quodam sphaeram pro terrarum orbe positam : ibi enim Cybele Leoninae infidet sella, sphaeramque inter manum atque genu continet, inscriptio, quæ ad hanc rem facit, est, MATRIMAGNÆ. In numo Germanici Imperatoris Augusti Victoria sphaeram movere videtur, in qua literæ, S. P. Q. R. quasi terrarum orbem Senatui populoque Romano adjudicatum jam esse, significare velit. Sane autem Imperatoris Nervæ Cæsaris Augusti sphaera S. C. ad cusa est, cum adjecto temone, quod orbis gubernationem dubio procul indicat. Et eodem significato Imperatori Vespasiano Augusti, P. M. P. P. P. C. O. S. VI. Utrumque numo æreo signum idem dedicatum. Grati vero Imperatores qui diis acceptum referent, quod regnarent, id deorum providentiæ adscribentes, rem numismatum monumentis testati sunt. Nam in M. Antonini Pii numo simulacrum muliebre videas quod stans læva contum tenet, dextra radium, quo præjacentem pilam verset. Inscripção, PROVIDENTIAE DEORUM. In altero ejusdem simulacrum idem læva manu baculo innititur, cuius apex in lituum flectitur, læva pilam radio attingit, quasi eam versaturo, aut leges illi consistendi præscripturo, inscripção, PROVIDENTIA. Eadem pila in manu dextera exportecta in numo L. Veri Augusti, cum inscripção, PROV. DEOR. TR. P. III. COS. At in Maximini simulacrum cum cornu copiarum, radioque in ejus manu dextera pilam à pedibus versante, cum inscripção, PROVIDENTIA AUG. In Antonini vero Pii numo sphaera cum cornu copiarum, FELICITATIS adscripçãoem habet. Dicata etiam est cum jaculo, Philippi filio, inscripção, PRINCIPI JUVENTUTIS.

*Faustine & quorundam Imp. numismata.*

MUTABILITAS. CAP. XX.

**Q**uod autem ad rerum mutabilitatem facit, non pila tantum, verum etiam rota in hujusmodi accipitur significatum. Psal. enim 83, legitur : *Deus meus, pone eos ut rotam*, hoc est, tam facile felicem eorum statum converte, quam volubiler rotam ipsa convertitur. Ita Euthymius, Eucherius, & alii.

*Græce ῥοτῶν & Hebraice Galgal. Vel quomodo trochus torquetur a pueris.*

DEROTA. CAP. XXI.

**E**t quoniam res ipsa nos ad rotam iterum reduxit, cum aliquot adhuc super ea reliqua sint significata, quæ distinctio sit in rotis primum enarrabimus, mox quæ ad significatum attinet, exequemur,